BERNARDUS CLARAVALLENSIS. NICOLAUS CLARAVALLENSIS. OGLERIUS DE LOCEDIO
Heiligenkreuz (?), Wende 13./14. Jh. (?) Seite 3r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30417
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift



3

psonam conueniant. saluis inperturbatisque proprietatibus naturarum.
Vnus quisque in sensu suo habundat. ego hanc omnem sensum
supergredi credo. veterum uirorum uestigiis inherens. qui
super hoc sanas et inconclusas sententias reliquerunt. Ad
paternam igitur generationem recurrentes. locum uolupta
tis patrem esse censemus. cum deus illocalis sit. sed efficientias
rerum nisi per uulgatos sermones explicare non possumus.
In ipso autem omnem uoluptatem esse intelligit. qui legit
apostolum dicentem. quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. et alium
ex illo duodeno apice similiter eructuantem. Omne datum
optimum. et omne donum perfectum desursum est. descendens a pa
tre luminum. Ipse filius dicit. Hec est uita eterna ut cognos
cant te solum et uerum deum. Cognicio igitur patris uita eterna
est. et ubi uita eterna. ibi sempiterna uoluptas. Egreditur
ergo filius de loco uoluptatis. quia gignitur de utero patris. iii.
deus de deo. lumen de lumine. dominus de domino. Egreditur autem
idemptitate. quia idem est quod pater. idem dico secundum substan
ciam. non secundum personam. Egreditur et equalitate. quia pari
omnipotencia respicit generantem. Cumque omnia possit pa
ter. possit et filius sicut ipse testatur. omnia que facit pater
facit et filius. nec potest filius quicquam facere. nisi quod patrem
uiderit facientem. Egreditur et eternitate. quia licet generetur.
non est posterior generante. sed ambo unius antiquitatis sunt.
si tamen uocabuli nouitatem non exhorretis. Quod licet
quoquomodo significet que dicuntur. longe tamen est a sententie
maiestate. Egreditur similitudine. quia similis est patri.
patris ymago. splendor glorie. et figura substancie eius. Egre
ditur alternitate. quia alius est ab illo. Alius dico. non aliud.